

membrum calore vitali nō perfunditur & irrigatur, proindeq; vita penitus destituitur: Ita qui in charitate nō vivit, hic spirituales Christi vitā nō habet, sed mortu⁹ est Deo & Christo; quia fide destituitur, estq; palme arefactus & exsuccus, à vite quæ est Christ⁹ amputandus; expers deniq; Dei, Christi, Spiritus sancti, Ecclesiæ Christianæ, & vitæ æternæ, ubi Deus à facie ad faciem videbitur, qui est ipsa charitas.

CAPUT XXXIII.

DEUM NULLO RESPECTU OPERUM & personæ, ex corde opera æstimare & judicare.

PROV. 21. *Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus.*

Deus omnia ex corde æstimat.

Cum Propheta Samuel Dei jussu David in regem uncturus, patris illius domum intravisset, velletq; primogenitū ungere, dixit Dominus: *Ne respicias vultum ejus, neq; altitudinem stature ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intuitū hominis ego judico: homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.* Quo exemplo Deus nos docet, nullam se personæ quantūvis magnæ &